

Disquisitio inauguralis de musices effectu in doloribus leniendis aut fugandis / [David Campbell].

Contributors

Campbell, David.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1777.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hygpdt2d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D E

Musices Effectu in Doloribus leni-
endis aut fugandis.

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

CADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

P R O G R A D U D O C T O R I S,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

D A V I D C A M P B E L L,

AMERICANUS.

Quid mirum? Ubi illis carminibus stupens

Demittit atras bellua centiceps

Aures, et intorti capillis

Eumenidum recreantur angues?

Quin et Prometheus et Pelopis parens

Dulci laborum decipitur sono:

Nec curat Orion Leones,

Aut timidos agitare Lycas.

HOR.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE.

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII,



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30791169>

Egregiis Viris,

Et

Florentissimae Academiae

Luminibus,

GULIELMO CULLEN, M. D.

Medicinae Ufus,

JOANNI HOPE, M. D.

Medicinae Reique Botanices,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

Medicinae Anatomiaeque,

JOSEPHO BLACK, M. D.

Medicinae et Chemiae,

FRANCISCO HOME, M. D.

Medicinae et Materiae Medicae,

JACOBO GREGORY, M. D.

Institutionum Medicinae,

Et

THOMÆ YOUNG, M. D.

Rei obstetricis, Professoribus;

Item,

JOANNI ROBINSON,

Philosophiae Naturalis Professori,

Propter summa beneficia;

Denique,

THEODORE BLAND M.D.

CULLEEN CULLEN M.D.

ALGER HOBBS M.D.

ALEXANDER MONRO M.D.

ROBERT MATHIAS M.D.

FRANCIS HORN M.D.

JACOB OREGON M.D.

THOMAS YOUNG M.D.

JOHN HORTON M.D.

Denique,

THEODORICO BLAND, M. D.

In Agro Virginienſi Medico prudentiſſimo,

Viro probatiſſimo, et ex omni parte ornato;

Postremo,

ROBERTO MUNFORD A RICHLAND,

In Pago Mecklenburgenſi, Agri Virginienſis,

ARMIGERO,

Doctrinae, humanitatis, et urbanitatis exemplari;

Ob has virtutes, et accepta beneficia,

Hoc primum in re medica auſum

D. D. C. q.

A U C T O R.

Denique,

THEODORICO BLAND, M.D.

In Agro Virginiae Medico Præfatus.

Vno probatissimo, et ex omni parte ornato;

Toronto,

ROBERTO MINNIFORD A RICHARD,

In Pago Michigianensi, Agri Virginiae,

ARMIGERO,

Doctissimo, humanissimo, et urbaneis exemplis;

Ob sua virtutes, et accepta beneficia;

Hoc poemata in se melius salutem

P.D.C.

AMST. 1701.

DISQUISITIO INAUGURALIS

D E

Musices Effectu in Doloribus leni-
endis aut fugandis.

PRÆLOQUIUM.

VARIOS inter morbos, quibus humanum genus subjicitur, alii compagem materiam, alii mentem, afficiunt; sed, in morbis febrilibus, functiones corporis mentisque, ut plurimum, turbantur.

Quoniam, ex usu et observatione, statum hominis talem sese habere docemur, ut corpus animusque eodem morbo, eodemque tempore afficiantur; ideo nexu mirabili connecti dicenda sunt, tali scilicet modo, ut corpus animi affectuum, et vice versa, plerumque particeps fiat. Quod ad animi naturam attinet, nullam ideam distinctam obtinere possumus; totumque, quod
A nobis

nobis de potestatibus illius et facultatibus notum est, ab effectibus acquiritur. Quem tamen affectuum capacem gratorum et molestorum, qui ortum aut a sensationibus impressionis, aut conscientiae recipiunt, luculenter novimus.

Hi animi affectus, qui per impressionis sensationes excitantur, interventu sensuum externorum nascuntur, qui numero quinque sunt. Quorum trium, nempe, gustus, olfactus, et tactus objecta, ad sensationes excitandas modificata, cum organ^{is}, cujus interventu agunt, in contactu manifesto esse requirunt. At multum duo alii, visus, nimirum, et auditus, in sensationibus quas constituunt, differunt; quoniam impressiones organicas minime percipimus; quam ob causam magis elevati et spirituales iis, qui in aliis tribus consistunt, existimantur. Praeterea, iidem, in quibusdam suis effectis, dulce leniterque exhilarant, et in tono aequae ab animae perturbationibus et languore distant. Quibus ex rationibus, ad animos depressis addendos, excitatis relaxandos, mirabili modo accommodantur. Vir Illustris, unus e suprema apud Scotos curia Judicum, Kaimes ait, “ Nothing can be more happily contrived to relieve us from uneasiness, “ than the exhilarating pleasures of the eye and “ ear.”

“ ear.” Voluptates, quas alia sensuum organa praebeant, breve tempus perseverant, diuque continuatae, primo insulsaе, postea fastidiosae fiunt; sed oculi delectamina aurisque, quoniam ad intellectus accedunt, ita continuari longo temporis spatio, absque mentis taedio, possunt, contraque ad tonum mentis longam post lassitudinem restituendum mire accommodantur. Ab iis emotiones in animo excitantur, quando objecta, quibus excitantur, magno intervallo inter se distant: Ita collibus sylvas et amnibus flexis variatas, praeterea floribus variegata, spectando delectamur; sed agri compascui visus sterilis menti nostrae ingratum est.

Modulis autem musices suavibus voluptatem haurimus; sed naenia aut threnodia moesti sumus.

Ex his observatis, morbis corporis mentem, et hujus illud, affici manifestum est. Unde remedia corpori adhibita affectus animi, et huic admoti, illius mala auferre, ratione patet et usu comprobatum est.

Ex sensatione conscientiae complurimae tedium causae originem ducunt, scilicet, ejusmodi quae ex passionibus deprimantibus oriuntur.

Quoties

Quoties corpus nostrum aliquo morbo male affectum est, ita mens, taedio et sensatione tristi, ut plurimum agitur; hic animi status infelicitatis recordationi et injuriarum opportunum aliquem reddit. Quae, cum suis rebus et relationibus recognitis et plerumque aggravatis, affectum morbidum magnopere adaugent, conatibusque salutiferis potestatis medicatricis naturae ad morbum fugandum plurimum officiant. Hominem taedio defectus rei, cujus praesentia animus delectatur, afficit, quod Desiderium nominatur. Quantoque irritabilior mens, et res optabilior, tanto illius impressiones fortiores erunt.

Reminiscentia boni perdit, quod longius frui aliquis potuisset, moerorem constituit. Desperatio, timor, ira, et invidia, affectus animum taedio opportunum reddentes sunt, et ab impressione conscientiae oriuntur. Sed ad naturam hujusce subjecti melius intelligendam, pauca

DE NATURA DOLORIS

Consideremus. Quoniam dolor est sensatio simplex, ita nullam definitionem verbis recipit. Nemo, quid alter vocabulo Dolor velit, si nunquam sensationem

sensationem illius in mente propria persensit,
 concipere animo potest. Definitus enim per
 sensationem tristem, et sensationem molestantem,
 fuit: Sed quid sit sensatio tristis? aequae definiti-
 onem, ac quid sit dolor? requirit. Multi defini-
 tionem doloris, sed definitionem genericam po-
 tius (qua rei genesis sive ortum et causas expo-
 fuerunt) quam ullam illius descriptionem veram,
 ex qua ideam de ejus natura distinctam obtinere
 possemus, dare sunt conati. Causa doloris pro-
 xima, in fibrarum nervosarum impulsu, a statu na-
 turali nimis violenter facto, ex causa qualibet con-
 sistere videtur. Causae enim hae multifariae, ut
 distensio, compressio, contusio, et solutio conti-
 nui, sunt. Gaub. “ Quippe, inquit, dolor nasci-
 ‘ tur, cum partes sensiles vi externa internave
 ‘ ultra quam commode ferre queant, distrahun-
 ‘ tur, aut percutiendo, contundendo, compri-
 ‘ mendo, stringendo, contorquendo, vulnerando,
 ‘ laeduntur, aut denique acri vario stimulantur,
 ‘ roduntur, uruntur.”

Causa doloris finalis monitor quasi nobis pe-
 riculi esse videtur. Et Gaubius “ oportet, in-
 ‘ quit, sane mentem contristari, ubi horum ali-
 ‘ quid evenit in illo systemate, cujus integritas
 ‘ naturae humanae tam utilis ac necessaria.”

Dolor

Dolor autem in ratione partis affectae sensibilitatis, et potestatis causae impellentis composita, sese semper habet; sensibilitate partis affectae data, dolor ut potestas impellens erit, et contra. Varias potestates inter physiologos dolorem excitantes, ut mechanicae et chemicae, receptae sunt. In potestatibus mechanicis, dolor et laesio a forma potestatis agentis, unaque ab alteris illius qualitatibus, scilicet, duritie, mollitie, frigore, calore, multum pendent. Quod ad modum operationis potestatum chemicarum attinet, multum in tenebris laboramus; sed aliquas earum aliis multo fortiores effectu esse, compertum tamen habemus.

Spasmus, et motus fibrarum muscularium oscillatorius, sub capite doloris causarum, considerati sunt.

Spasmus est contractio constans aut tonica musculorum. Causae ejus plerumque eae, quae doloris aut ataxiae sunt, quae fluxum irregularem potestatis nerveae fibris moventibus excitant. Sub motus oscillatorii, in fibris muscularibus dolorem excitantis, nomine, aliquid vere in morbis quibusdam subest, me iudice, magis quam fere a pathologis notatum est. Gaub. dicit, ‘ in parte affecta vis vitalis irritamentum vibrati-

‘ ones

ones tremulas, tensiones, spasmos, &c. efficit. Interdum in typho, sensus affectus tremuli et vibratorii in fibris corporis superficie muscularibus occurrit. In pedis digitorum extremis incipit, et gradatim ad verticem ascendit; sensibilibior enim in facie et labris persentitur; sed paulo post temporis, cursus illius retrogradus ad pedes est, rursusque ab his ad caput, duarum vel trium horarum intervallo, sic recurrens.

Hancce ego sensationem, dum eo laboravi morbo, manifesto expertus sum; idemque symptoma in duobus aegrotis a Doctore Stevenson observatum erat. Hos affectus tremulos in fibrillis moventibus non existere, quia observari non possunt, mihi ratiocinio falso credi videtur. Sonos enim a corporibus vibrantibus propagari, postquam omne illorum vibrantium signum ex toto cessavit, certissime scimus.

Has autem sensationes, affectuum fibrarum muscularium minimarum in numero esse, aequè credibile est, ac convulsiones, aut affectus clonicos, in musculis suam majoribus sedem, obtinere.

Si quis me, quare hi motus tremuli in fibris tam exiguis excitentur, percontaretur? ego eum contra, quare motus convulsivi in musculis magnis peragantur, rogarem? Sensationes eas tremulas ab affectibus in fibris vivis superficiei clonicis originem

ginem trahere, verisimile est; nempe, si quis manum super fides tempore cantus ponat, vibratio illius ipsissimam sensationem in mente excitat, quae supra memoratur.

Quoniam causae doloris differentes sunt, ita sensationes molestae ab illis orientes variant. Morbi quidam non solum fibrarum nervosarum irritabilitatem augendi vi gaudent, sed etiam animi potestates magis sensiles, et acutiores ad dolores suscipiendos, ex causis levissimis, reddunt.

Dolor a spasmo oriens magnam anxietatem et taedium efficit; et quoniam causa illius fixa est, ita effectus esse constantes necesse est. Sed doloris effectus non semper in eodem gradu manent, licet causa una et eadem sit. Quanto enim diutius dolor persistat, tanto magis illius removendi desiderium augetur; ex quo animi taedium multopere augetur.

Gaub. de anxietate loquens, haec verba habet:
 ‘ Uti praesenti malo dolemus, ita imminentis, quod
 ‘ averti aut superari nequit, idea meticulosos so-
 ‘ licitat, angitque, eo quidem vehementius, quo
 ‘ malum gravius, aut minus eluctabile, videtur.
 ‘ Anxietas tristis sensatio est, ipsaque quandoque
 ‘ morte intolerabilior. Verior ex corpore nas-
 ‘ citur anxietas, sicubi obstaculum quoddam co-
 ‘ natibus,

‘ natibus, quibus natura utitur ad expellendum
 ‘ aliquid, quod sibi intus incommodat; e. g. quan-
 ‘ do excretio alvi, lotii, humoris perspirabilis, sudo-
 ‘ ris, sanguinis, presto est urgetque et impeditur.
 ‘ Inde et molimina ad haemorrhagias, vomitum,
 ‘ evacuationes criticas, metastases, et exanthema-
 ‘ ta, et transitus sanguinis per pulmones difficilis.’

Brevi enim quodlibet functionibus animalibus,
 naturalibus aut vitalibus, sed praecipue iis, quae
 vitam ancipiti periculo premunt, officit. ‘ Dolor
 ‘ in anima impatientiam, inquietudinem, et incer-
 ‘ tos conatus causa levaminis ciet, animam irri-
 ‘ tabilem reddit, ad iram praedisponit, somnum
 ‘ cogitationumque ordinem turbat *.’ Iterum-
 que Gaubius, ‘ efficit,’ inquit, ‘ dolor, si vehemens
 ‘ est, in mente inquietudinem, laborem, angorem,
 ‘ pervilgium, delirium, vitae desperationem: In
 ‘ parte affecta, vis vitalis irritamentum, vibratio-
 ‘ nes tremulas, tensiones, spasmos.’ Quoniam au-
 tem a causis diversis oritur, ita nominibus diffe-
 rentibus nuncupatur; cum sensus tensionis eum
 comitatur, Tensivus; cum in puncto fixus vide-
 tur, Pungitivus; cum a corporibus extraneis in
 punctulo fixis, vel ex obstructione in superficie,

B nascitur,

* Dimisdale.

nascitur, Pulsatorius ; cum suam originem ex potestatibus chemicis rodentibus ducit, Rodens ; ubi in partibus parum sensilibus, ut in quorundam viscerum parenchymatosis, situs est, Gravativus adpellatur : Qui in membranis, cum ossibus immediate connexis sentitur, Frangitivus nominatur. Gaubius ‘ praeterea,’ inquit, ‘ quoniam sensationi
 ‘ tristi, quae in quibuslibet doloribus inest, sese
 ‘ insuper in singulis fere adjungere solet idea mo-
 ‘ di, quo vis dolorifica in partem agit, praecipue
 ‘ sic dolorum differentiae, ac totidem veluti spe-
 ‘ cies constituuntur : Uti sunt distendens, gravans,
 ‘ stringens, contundens, pulsans, scindens, pungens,
 ‘ terebrans, rodens, mordax, urens.’ Dolor actionem cordis et arteriarum auget, vimque nerveam mobiliorem reddit ; ac proinde ordo naturae in secretionibus et excretionibus plurimum turbatur. ‘ Cerebri et cordis actionem modo
 ‘ excitat, modo pro tempore sistit *.’ Statum mentis, hoc in affectu, paulo accuratius consideremus.

In salute mens statu quodam fruitur, quo nec voluptate effertur, nec dolore deprimitur ; status hic, aut Indifferentiae, aut Tranquilitatis, nominari possit,

* Dimsdale.

possit. Cum autem emotiones ullae, aut passionēs mentis, sensationes gratas excitant, tum ei voluptas inesse intelligitur. Ubi haec sensatio grata in parte diminutionem patitur, mens dolorem negativum pati fertur: Idem edit effectum voluptas intercepta. Quando dolore ex impressionis sensatione afficimur, semper alia sensatio molesta in mente cietur, quod desiderium illam fugandi est; desiderium in animo taedium efficere bene notum est; quod boni absentis aut negativi effectus est. Ut mens autem humana bono negativo non omnino contenta esse videtur, sed bonum positivum aut voluptatem usque persequitur; ita dolor aliam adhuc sensationem molestam involvit, quae ex defectu boni positivi constat.

Dolor in effectū suo ad causam amovendam nos praecipue inducit; iisdemque ex causis, quae voluptatem creant, saepe oritur; e. g. lux, quae sensationes omnium gratissimas, gradu aucto, sensationem molestissimam, in animo creat. In morbis enim quibusdam, ubi delirii species esse videtur, animus plurimum confusione idearum inquietatur, qua saepe laborat, et naturae conamina ad morbum amovendum sic magnopere retunduntur aut impediuntur. Quoniam animum in statu activo esse, praesertim cum a somno non obtinetur,

obtinetur, naturale est; igitur in suarum idearum reminiscentia, aut operatione magis difficili, scilicet in ideas comperando, quod in ratiocinio, iudicio, et conclusionibus necessario consistit, occupatur; et, cum potestates illius ita depravatae sint, ut non notiones claras operationum suarum assequatur; exinde ideae ejus fiunt obscurae, earumque concatenatio intermittitur, quod in animo taedium molestissimum, supra memoratum, edit.

Vis phantasiae potestate menti imprimendi sensationes molestas et alienas, ex statu morbo, gaudet. Multi enim daemones et spectra ex tali causa sese vidisse opinati sunt; eaque phantasmata in mente prohibere perdifficile existimatur. Silentium cum tenebris praeceptum est. Sed, quia ambo haec ad cogitationes melancholicas, somno interpellato, ducunt, (nam quanto pauciores impressiones externae, tanto fortior ea vis phantasiae interna est), exinde modum aliquem, animi attentionem talibus a falsis imaginibus revocandi, excogitari posse optandum est.

Id variis in casibus melo effici potest, quod, taedio fugato, mentem ad suavem somnum inendum feliciter allicit.

Animus,

Animus, cum idearum successio illius aut acceleratur aut retardatur ultra cursum naturalem, semper taedio afficitur; quod, quamvis gradibus parvulis minime percipitur, tamen extremis grave sentitur. Idearum acceleratio, licet voluntaria, molesta est; et gradum varietatis, quem natura requirit, mutare aequè molestum percipitur. Dolor levis, unam partem corporis pertinaciter afficiens, morando fere intolerabilis fit; totam namque attentionem occupans, nullum locum varietatis alteri objecto permittit. Dolor vagus minus molestus est, quia loci mutatio ad varietatem contribuit; verum etiam varietas in excessu molestiam creat: Exemplo esse potest, turba inebriatorum simul blaterantium; quod eo fit, quia cum varietate ordinem quoque necessarium, ad gratas sensationes efficiendas, servare animus non potest.

‘ Graves animi affectus sunt praesertim, diuturnus moeror, tristitia, metus, animi angor, terror, et anxietas;’ hi conatibus naturae in morbo sanando plurimum officiunt. Exempla multifaria horum in febribus miliaribus puerperarum observavit Hoffmannus; quod porro tempus esse notandum est, in quo affectus animi, ex statu systematis nervosi maxime irritabili, facillime excitantur.

excitantur. Idem non solum conamina naturae salutifera in morbo amovendo pervertunt, sed etiam morbos ex novo gignunt. Hoff. de tristitia, ‘Tristitia,’ inquit, ‘pertinacior solidorum robur valde imminuit, et fibrae inde flaccescunt, relaxantur, earumque vigor ac tonus perit, inappetentia, nausea, et diarrhoea sequuntur.’ Sed, ut manifestius naturam doloris intelligamus, pauca

DE NATURA VOLUPTATIS

addenda sunt. Quandoquidem voluptas est sensatio simplex, ita definiri non potest. In duas divisa est, Positivam et Negativam. Voluptates positivae ex sensationum productione in mente sana magis gratarum, quam earum, quibus in statu indifferentiae fruimur, consistere videntur; tales sunt a spe et gaudio orientes. Voluptates negativae, in sensationibus potius ex aliquo remoto, quod nobis taedium intulit, aut aliquo acquisito, quod vehementer cupivimus, ortis, constare credendae sunt. Egregius Burke et voluptatem et dolorem, naturae positivae existimat; quod voluptatem diminutam non dolorem positivum, neque dolorem diminutum voluptatem positivam, gignere

gignere posse, opinatur. Doloris corporis cessatio, voluptatem positivam gignere, non omnino existimanda est; siquidem non ens neque dolorem nec voluptatem excitare potest. Sed doloris acuti diminutio, emotionem doloris et voluptatis mixtam gignit. Gaudium tamen e dolore minuto cito fugit, et mentem cum gradu doloris relicto mox relinquit.

Nulla appellatio adhuc strictius idonea, pro ea transitione in mente, quae in voluptatis diminutione fit, inventa est; num Privatio nuncupanda est? Voluptas praesens, si non nimis languida, nostros exiguos animos totos occupat, et vix absentium cogitationi ullum locum relinquit; talis enim est status animi, ut duas voluptates una pati non possit; nec ulla omnino voluptate frui possumus, dum dolore exquisito vexamur. Delectamen aut taedium plurimas nostras ideas occupant; et vix ullus nostrorum sensuum affectus extrinsecus, aut cogitatio intus in animo sita, oboriuntur, quae non vel grata vel ingrata effecta in mente excitare possint; hinc status indifferentiae, strictius dictae, vix et ne vix quidem bene intelligi potest.

Animus in voluptatem natura pronus est; et, quoniam in statu sano eligere, quascunque ideas
sequi

sequi velit, in arbitrio est ; ideo semper eas, quaecum voluptatis praesentis, aut futurae perceptione, conjunguntur, necessario eligit. Quodcunque nos reddere perfectiores existimemus, id feliciores faciet ; quippe enim perfectio est ultimum in votis nostrum, et causae voluptatis, ut tempestas in mare, cessare possunt, sed earum effectus prolongantur ; ita, post nimiam voluptatem mens ad statum pristinum tranquillitatis recurrit. In statu tranquillo animus dicitur esse, quando perceptiones illius cursu naturali labuntur.

Plurimae perceptiones sed absque varietate, paulo post infusae fiunt ; hinc ad dulce excitandum in mente, idearum successiones mutandae sunt, ut animi tonus sustineatur. Sed transitio neque frequens, nec non naturalis esse debet. Hinc idearum concatenationis memoriae solius, nunquam varietate nimia, taedet, quia secundum naturae nexum oriuntur.

Voluptates idearum concatenationis, in conditione *reverie* dicta, praecipue observandae sunt ; maximeque, ubi vis phantasiae interponitur, et in idearum novarum productione activa est ; quod facillimum factu est.

At plurimum differt, ubi objecta externa concatenationi interponuntur ; namque illa aut perceptionum

ceptionum concatenationem sibi constantem, aut maxime diversam, quae ex causis inter se oppositis molesta erit, excitare possunt. Color et sonus intra quosdam limites variati ullo absque ordine animo sunt delectabiles. Exemplo esse potest ager floribus variegatus, et avium variarum in dumetis moduli. At, cum ordo et nexus eis adjuncti sunt, voluptas auctior; quam varietas cum uniformitate perite commixta, quoad oculi objecta, plurimum augent: Quod ad auris objecta attinet, varietas cum proportione, basim, ex qua sensationes nostrae suaves constant, constituere videtur. Pauca

DE NATURA SOMNI

dicamus. ‘Dum in eo versatur animus statu, ut nihil clare extrinsecus sentiat, nihilque clare imaginetur, tum dicimur dormire, et ille status dicitur *somnus* *.’

‘A primis vitae temporibus, lege naturae constituta, mutationibus certis systema animale obnoxium esse observamus, vel vicissitudines alternas somni et vigiliae subire, quae certis

C

‘ temporibus

* Beaumist.

‘ temporibus vi manifeste consuetudinis reverti
 ‘ consueſcunt †.’

Somnus defectu quantitatis aut mobilitatis potestatis animalis creari videtur, et labore et vigilia gignitur. Labor et vigilia lassitudinem pariunt, quae, gradu quodam, somnum generant, sed gradu auctiore, febrem, a qua somnus aliquamdiu abigitur. Multifariae sunt causae praeter haec, in corpore, somnum generantes; sed generis morbidi ut plurimum sunt. Ejusmodi omnia videntur, quae cerebrum ab extra comprimunt, ut cranii depressio, fluida extravasata, hydrocephalus, quae plethoram ad volumen, ut spiritus vini, balneum calidum, gignunt, quae sanguinem, in quantitate nimia, ad cerebrum determinant.

Quies et tranquillitas animi et sensuum exteriorum irritatio omnis fugata, cum idearum successio tardata est, causae sunt somnum placidum et profundum inducentes: Somnus autem motus corporis diminuit, ex quo salutiferos ejus effectus, in statu irritabilitatis, videmus. Impressiones conscientiae multis in casibus somnum interturbant. Nam relationes, per quas res inter se conjunguntur, magna concatenationem cogitationum dirigendi vi gaudere constat. Etenim
 experientia

† Hoffm.

experientia docemur, objecta in animo, haud aliter quam sese externe habent, esse connexa. Causae suis cum effectibus connectuntur, et unus objecti idea aliam sibi conjunctam suggerit; quod idearum consecutionem efficit, vel quod Anglice (*ideas in a train*) appellatur. Et tamen cursum idearum flectere vi voluntatis possumus. Nihilo tamen minus successione idearum paulatim saepe auferimur, et sic mens nostra perseveranter toto successione tempore occupatur. Portio rata hujusce successione sibi relicta, non semper eadem est; nam causae naturales eam aut accelerant aut retardant; temperamentum phlegmaticum et senectus semper cum cursu perceptionum tardato consociantur. Quibus juvenus et temperamentum vividum contraria sunt. Multum enim in conceptionibus, concatenationem componentibus, constat. Res delectabilis magis animum occupat, et successionem tardiores, quam in re mediocri, progignit; et causa patet: Nam quanto attentior animus est, tanto plus temporis ad investigandas varias rei delectabilis qualitates requirit. Verum, in objectis mediocribus, qualitates eorum minime observantur. Quum objectorum successiones sua sponte

sponte sese insequuntur, mens eas facile trajicit; si vero connexio secius, quam natura fert, se habet, successio tardior est, et animus eam aegre fert. Tempore vigiliae, semper aliquarum idearum conscii sumus, quibus animum plus minusve adhibemus: Gradus attentionis nostrae ita interdum augetur, ut ad nihil circa nos attendamus. Casus quidem sunt, in quibus animus tantopere occupatus est, ut causae doloris tunc temporis non percipiantur. Aliquando mens ita relaxata est, ut ideas, se transeuntes, vix omnino annotet. Hicce animi status auctior conditionem *reverie* dictam gignit, in qua ideae in mente, absque judicii aut intellectus operatione, volitant. Status talis in aegro pervigilio laborante, ubi somnus prorsus diremptus, valde exoptandus est, induci potest; sed a causis, ideas placidas in mente reddentibus, praecipue cavendum est, quod carmine aut musica, me iudice, faustius quam ullo alio modo efficiendum est.

Saepe a somniis aegroti multum perpassi sunt. Phantasmata mentis delirio affectae animo concipi nequeunt, nisi eo illis affueto.

Somnia in conditione animi obdormiscentis magna ex parte constant. Et quoniam illa ut plurimum male affecta est, ex molestia et mor-

bi detentione, saepe ex iis multum mali patimur. Ea prohiberi possunt sonis animo consentientibus, ex quibus sensationes molestae removeantur, et loco illorum, aut somnus aut amoenum *reverie* inducatur. Hallerus balneum calidum, derivatione sanguinis ad pedes, et determinationem ad caput minuendo, somnum inducere dicit. Musicen ita circulationem liberam et aequabilem reddere, iisdemque cum effectis conjungi, deinceps est monstrandum. Atque somnum, aut balneo aut musica conciliatum, nonne potius ex sensationibus blandis et permulcentibus, in animo sic effectis creari, quam ullo effectu in systema sanguiferum directo, suspicari licet? Joannes Locke ait, ‘Indulgence of our desires of any kind, particularly ardent, gives satiety, which lulls the senses, and tends to produce sleep.’ Doctor Cullen, in Phys. § CXXVIII. says, ‘Attention to a single sensation, or to sensations that have no consequence in thought or action; finished gratifications of all vehement desires, &c. are causes inducing sleep.’ Gaub. dicit, ‘Cupidinum indulgentiam semper comitatam esse a sensuum, tam externorum quam internorum, hebetudine, e. g. post famem depulsam, non tantum

‘ tantum in specie humana, verum etiam in animalibus omnibus, hoc clare illustrat.’ Sequitur

DE NATURA MUSICES

Ut pauca adjungamus.

Succeffio sonorum, ad sensationes gratas in animo excitandas idoneorum, Musica appellatur. Menti facultas congenita est oblectationem concipiendi, quibusdam ex sonis, certa quadam proportionem digestis. Soni ex his proportionibus digesti, concursus gratus in animo aut consentum gignunt; et horum concursuum variatio, cum iusta temporis observatione, quod Melos nominatur, constituit *. ‘ Melody consists in the agreeable succession of single sounds †.’

Musica

* Gradus scalae musicae non omnes ejusdem longitudinis sunt, aliqui eorum alteris fere duplo longiores sunt; gradus itaque majores Toni, minores Semitoni, appellantur. Primus tonus scalae qui alteros regit, Clavis nuncupatur; sequentes sunt, secundus, tertius, quartus, quintus,

† Gregory’s comp. view.

Musica in tono laeto, gradu exquisito, omnibus emotionibus nostris ejusdem toni accordat. Hinc desiderium nostrum modulorum laetorum, quando hilares sumus; et mollium, et quod Itali *affettuoso* vocant, cum passionibus deprimentibus afficimur. Sonus gravis animum deprimat, sed in alta clavi eum laetatur elevando; hi inducere emotiones animi causas eas excitantibus fatendi sunt. Sonus mollis animam demulcet; sed

tus, sextus, et septimus, qui inter se relatione sequenti gaudent.

Æqu^s est clavis 120, secundus tonus 135, aequabit tertius 150, quartus 160, quintus 180, sextus 200, septimus 225; et tonus proximus, qui clavis nova erit, 240 aequabit; hi toni octo scalam musicam constituunt.

Gradus a clavi ad secundum, et a secundo ad tertium, Toni nominantur. Gradus inter tertium et quartum Semitonus est; quintus, sextus, et septimus Toni sunt, a septimo ad octavum est Semitonus.

Omni tono aliquid peculiare est, quod nostram attentionem meretur. Clavis expressione forti gaudet, tertius et septimus aliquo supplicante in sese fruuntur, sextus tono querebundo gaudet, quartus gravis et solennis est, quintus est similis clavi, et secundus est similis sexto.

Hae sunt horum sonorum proprietates usitatiores, quae in perceptione relationum suarum diversarum, ex quibus cum clavi connectuntur, dependent.

fed auctus, aut in alta clavi, animat. Doctor Brown, ‘de sonorum modulatorum vi,’ dicit, ‘Huic arti maxima vis est amoenitate quadam
 ‘animum perfundendi, laetitiaque afficiendi ab
 ‘omni foece purgata; haec jucunditate vitam con-
 ‘dit; pectus humanum atris curis, dirisque solici-
 ‘tudinibus oppressum, levat; evibrat, et modis
 ‘profecto miris reddit hilarem; suaviter affectus
 ‘moderatur et lenit, intimamque mentem sum-
 ‘ma cum voluptate pervadit; emollit mores, et,
 ‘ex ferocibus, mites et mansuetos facit.’

Soni sensus ex intentione, cum sensus commu-
 nes ad sensum audiendi praecipue colliguntur,
 meliores fiunt. Eoque, lux et omnia irritantia
 externa sunt removenda, dum musice adhibetur.
 Quanto enim in officio sensus externi magis su-
 spenduntur, tanto cum laetitia effusiore voluptas
 musicae conjungitur: Sic ii, qui inter somnum
 et vigiliam eam audiunt, in ecstasi sibi videntur.
 Musica vi aut removendi aut praeveniendi idea-
 rum concursum in animo, absque ullum in se ge-
 nerando, gaudet; quoniam soni solum sensationes
 simplices in animo creant, ita qualitates aut pro-
 prietates perpaucae de eis praedicandae sunt.
 Actio animi activa, aure exquisita fruentibus ad
 hujusce voluptatis conceptionem, minime necessa-
 ria

ria est. Auris ipsa haud multum sonis generaliter afficitur, quia ad mentem immediate referuntur. Nihilominus, quibusdam tamen in casibus, ubi auris irritabilitas auctior est, soni illam male afficiunt; hinc, ad sonos gratos et suaves excitandos, iudicium peritissimum requiritur. Nobismet nativum esse aliquid, quod sonis harmonicis accordat, ex nutricum exemplis cum infantibus facile probatur, quae eos ad somnum lallis et leni susurro alliciunt, cum aut perversi aut doloribus vexantur. Idem dicit Galenus, ‘ Qui nutrices,’ inquit, ‘ ipso usu edoctae mulcere solent infantes, dum aut offenduntur, aut plorant, motu mediocri, nec non vocis modulationibus, quibus non solum eos mitigant, sed etiam somnum conciliant, vel hoc, ipsa testante natura, ad musicen eos, et exercitia suapte ingenio esse propensos.’ Amoenitates harmonicae non solum humani generis sunt, sed etiam animalium classes inferiorum sese modulis exhilarandi facultate fruuntur, maximeque aves, a quibus, ut quibusdam placet, primo homines canere docti sunt. Hic verba Doctoris Brown legamus: ‘ Vero fir-

D

‘ tum

‘tum suavem in virgultis fundentes, quae modulamine cantus mentes eorum demulcebant, et ad imitandas provocabant.’

Et, licet quadrupedes in universum non potestate sonorum modulatrice gaudeant; attamen bene notum est, eorum animos voluptatem ex sonis accipere. Sic sonus tubae equum in praelium ruentem animat: Jumenta enim vigore novato, utque onerum obliviscentia, tonis modulatis, laborasse observantur. Quibus, exempla animalium in catena entium, multum equo inferiorum, addamus. Si quis in terris zona sub temperata, aut ad torridam vergentibus, (ubi sylvae ab rudi hominum manu non excisae sunt, in quibus animalia innumera crescunt et vivunt, statuque naturae fruuntur), versaretur, tempore veris, et aestatis noctibus, harmoniam insectorum myriadum permulcentem perpetuo, et absque ulla intermissione, exaudiret. Musica non solum affectiones animi discordes et infociabiles dissipat, sed sublimiores, scilicet amorem, spem et gaudium inspirat, animatque; ex quibus, benevolentia et fortitudo, quae gloria sunt humani generis, oriuntur *. Cassiodor. epist. ad Boeth. ‘Musica,’

* ——— Ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit mores; nec finit esse feros.

OVIP.

‘ ca,’ inquit, ‘ cum de secreto naturae tanquam sen-
 ‘ suum regina tropis suis ornata, processerit, re-
 ‘ liquae cogitationes exiliunt, omniaque facit ejici,
 ‘ ut ipsam solummodo delectat audiri; tristitiam
 ‘ noxiam jucundat; tumidos furores attenuat;
 ‘ cruentam saevitiam efficit blandam; vigilantibus
 ‘ reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tae-
 ‘ dium; perniciofa odia convertit ad auxiliatri-
 ‘ cem gratiam; et per dulcissimas voluptates ex-
 ‘ pellit animi passiones, incorpoream animam cor-
 ‘ poraliter mulcet, et solo auditu ad id quod vult
 ‘ deducit.’

Melos omnium ad taedium fugandum, quod
 aut ex sensationis impressione aut conscientiae e-
 nascitur, felicissimum est. Du Bos dicit, ‘ Si-
 ‘ lence and darkness do not tend to calm an agi-
 ‘ tated mind, but soft and slow music has a fine
 ‘ effect.’ In affectibus animi molestis maxime
 desideratum est, aliquem investigare modum illius
 attentionis ad has sensationes prohibendae, eam
 dirigendo ad objecta, quae neque cogitationem,
 nec ullam mentis operationem manifestam, exi-
 gunt; quem modum talis esse naturae oportet,
 ut sensationes gratas et suaves in animo interea
 excitet. Quoniam musicam tantum in animum
 valere memoravimus, an aliquo effectu systema
 nervosum,

nervosum, pulsu suo in hujus superficiem afficere, existimanda est? Systema nervosum, quibusdam in morbis, male affici videtur, ut torpore insigni, qui superficialis in typho est, ut epileptica nullum exhibuerint stimulum. Statum cerebri aut sensorii, vi sonorum, motus vibratorios in nervis superficiei excitantium, mutari verisimile est. In hanc sententiam vir relatus Brown, ‘Corporibus,’ inquit, ‘ad nervos admotis fit sensatio; commoti enim nervi propellunt ad cerebrum subtilissimum humorem, qui spirituum animalium vulgo nomine gaudet, et ex occasione ejusdem motus excitatur in mente nostra idea objecti, quo organum perculsum fuit.’

Sonis corpora inanimata tremere notantur, moenia quodam tono vibrant, columnae in cathedra sonis organi contremiscunt, calices vitreae voce humana franguntur; quid denique non faciant soni!

Musica circulationem sanguinis aequam et liberam promovet, quod boni in phrenitide et mania, sanguine congesto a cerebro revocando, praestat; idemque variis in capitis doloribus, qui aut a congestione sanguinea, aut spasmis, originem ducunt, efficit.

Sanguini.

Sanguinis aequalem donec fervare tenorem
 Contendas; animus fanus et aequus erit.

Tranquilitas animi a sanguinis circulatione aequa plurimum pendet; secretiones enim ea excretionefque omnes commode peraguntur. Hoffmannus, 'Quamvis,' inquit, 'mentis vita a corporis diversa fit, attamen dum in et per corpus operatur, indiffolubili, quod ipsi cum corpore intercedit, vinculo, aequae de corporis valetudine participat.' Ut D. Praeses judicat, 'Qualis est temperies et motus sanguinis et humorum, talis enim est motus spirituum animalium, et qualis spirituum animalium motus et temperies, tales etiam et mentis motus, inclinationes, et cogitationes exfurgunt.' Animi enim affectiones valde sanguinis circuitum afficere, omnibus notum est. Quin et animum vi liquidum nervosum ad quosdam musculos, sua ad imperia exsequenda, amandandi, revera gaudere, usu compertum est. Unde, nisi ex attentione animi ad partes irritatas et laborantes accidit, ut dolor, attentione ab eo revocata, removeatur, spasmus resolvatur, et succi omnia per foraminula facile vadant, ex quo aequilibrium sanguinis circuitus restituitur?

Hoc

Hoc ad propositum verba Doct. Brown audiamus : ‘ Cum mens laetitia afficiatur, dilatatur cor, spatiat^r festivus sanguis, atque toto corpore facile fluit, laxatisque meatibus cuncta permeat ; hinc genae colore vivido rosaseo suffunduntur ; hinc calor tumidus ; hinc vegetus nitidusque totius corporis habitus et status ; sic deinde, cor explicat, cerebrum recreat, diaphragma titillat, lienem molliter succutit, jecur dulci calore perfundit, pulmonem et pectus dilatat ; itaque non parum salubris et sanitati commoda. Contra autem, in luctu et tristitia, omnia toto coelo aliter se habent ; haec enim passio cor, et venas et arterias, omniaque viscera, immo et cerebrum ipsum, contrahit ; hinc parum sanguinis arteriosi in carnes effunditur, contractis scilicet meatibus ; hinc pallor vultus et frigus ; subsidit caro ; nasus acuitur ; genae cadunt ; albescunt macerata labra ; cuncta frigent.’

Hoffmannus, Baglivi, Albinus, aliique, de musices effectu salutari in moribus quorundam animalium venenosus agentes, abunde disseruerunt. Fortasse usus ejus cum fructu in hydrophobia esset. Et quid noceret tentare ? In maniacorum curatione, consilia medendi praecipua sunt, idearum concursum omnino invertere, novas inferendo,

et

et aegri conditiones omnes mutando. Hoffman-
 nus, ‘ Praestabit denique,’ inquit, ‘ in subsidium
 ‘ vocare musicam, quippe quae in curandis animi
 ‘ adfectibus, et deliriis mitigandis, mira efficacia
 ‘ gaudet.’ Quercetano de musica dicit, ‘ Tam
 ‘ exacta est numerorum, rythmorum, atque
 ‘ proportionum concordia, ut nihil sit, quod ma-
 ‘ gis animum promovet et recreat, nihil quod per
 ‘ aures suaviter diverberatas magis illam afficit
 ‘ atque oblectat, quam concentus et exactae pro-
 ‘ portiones.’ Cicero ait, ‘ Nihil est tam cogeni-
 ‘ tum mentibus nostris quam numeri atque voces,
 ‘ quibus et excitamur, et incendimur, et lenimur,
 ‘ et languescimus.’ Ut Brown observavit, ‘ Mu-
 ‘ sica certis speciebus sive imaginibus gratis men-
 ‘ ti repraesentatis, a vagis et falsis mentem avoca-
 ‘ re potest; et dum ei idea jucunda obversatur,
 ‘ fiet tranquilla, mitis, et ferena.’

Quoniam igitur usus musicae aegro accommo-
 datur, praescire an ille musicae affuetus sit, aut
 an aure exquisita fruatur, oportet. Si ita res se
 habet, aegroti attentio a taedio detrahi posse spe-
 randa est. Musicum autem plurimos cantus ae-
 gro concinere necesse est, ex quibus unum ani-
 mo gratum et permulcentem elegat: Namque
 saepe accidit, ut toni aegris grati non cito dis-
 cernantur.

cernantur. Si nequeat loqui aeger, sed sensibus non omnino torpidis sit, toni illi placentes ex effectū, eum quietum, et somno paratum reddendo, observentur. Postquam in numeros aegro gratissimos incidit musicus, non cito mutandi sunt, ut in valetudine secunda saepissime exoptatur. Unum cantum aegro, delirio laboranti gratissimum, decem horas modulatum, absque intermissu, et maximo cum fructu, ipse scivi.

Modulatio lenis, placida et permulcens plerumque esse debet, aut quod Itali *affettuoso, dolce, piano, et pianissimo* appellant; praecipue in morbis ubi aegri, statu illo, quem noster celeberrimus Cullen statum systematis excitationis nominat, laborant; ejusdem saltus aut transitiones parvi et lenes sint; saltus enim improvisi animum percellunt. Concentum animae modulationi accordare necessarium est; et quando concentus extenso ad statum laxum subito cadit, sensationem molestant in animo creat; pars auris organica, una cum mente, his magnis saltibus male afficitur. In affectibus animi, praecipue ab conscientiae impressionibus ortis, si modulatio tentanda, forsitan illius generis quod ab Italis *allegro, Galiarda* appellatur, esse debet. Musica istiusmodi
invenienda

invenienda est, per quam animus aegri, attendendo et expectando, continuo sustentetur, et expectatio illius raro frustretur. Eadem ad cor tangendum, aut aurem delectandam, plerumque simplex esse debet. Nonnulli judicum musices peritissimorum, modulationes *pianissimo* et *affettuosissimo* compositas, quod Galli *l'accompagnement* appellant, haud recipere arbitrantur. Ex qua causa, procul dubio, veteres ab illa tantopere affecti erant, quod, ob simplicitatem ejus, unde eam comprehendendi facilitas orta erat, ideo concentio animi, omnibus in emotionibus stricte cum modulis modulatis, facile perficiebatur. Unum praecipue a musico notandum, scilicet, quodeunque emotiones mentis et affectus ciet, caute et sagaciter tangendum; chordae plenissimae et dulcissimae raro tangendae, ne satietas et fastidium pariantur. Nobis innatum est aliquid, quo passionum, aut querebundas aut festivas, tonis quibusdam exprimimus: Cumque his sonis nativis, moduli musices perfecte congruentes, respondent, nos plurimum commovere nil mirum est. Ut Brown ait, ‘ Rem obscuram dilucidiorum reddet, si existimemus musicen esse imitationem sonorum, accentuum, suspiriorum, vocis inflectionum,

E

‘ num,

‘ num, et, ut uno verbo expediam, sonorum om-
‘ nium, quibus natura ipsa ad exprimendas per-
‘ turbationes et affectus utitur.’

Pluribus in morbis, aurium irritabilitas admo-
dum augetur, ac proinde sensationes aegri ad me-
los exquisitiores redduntur. Quam ob causam,
musicum non solum musicae doctum, sed etiam
aure exquisita, et sensationibus delicatis praeditum,
invocare necesse est. Plurimi enim sunt, qui ca-
nere numeros sciunt, sed expressione omnino ca-
rent. Et quicumque sic non ipse commovetur, is
alteros commovere nescit.

Insuper, musica, ut balneum calidum, variis in
casibus, si quid commodi inde accipere velimus,
aliquamdiu producenda est. Alioquin spes no-
strae saepe, ex defectu temporis, fallentur. Ex
his observatis, musices, per quam emotiones ani-
mo gratas et consentaneas, quae votis illius nati-
vis concordent, gignere et fovere possumus, u-
tilitatem concludere licet. In musica aliis aegris
adhibita, melos, ut plurimum, solum usurpandum;
quibus tamen, si musicae periti sunt, sine dubio
harmonia praecipienda est.

Aqua perpetuo delabens medio syphonis, aegri
prope lectum, ex qua ‘ sonos lenes aquarum la-
‘ bentium,’

‘bentium,’ Hallero dictos, facile imiteris, per monotoniam animum ad sensationes, in nullam mentis operationem activam definentes, ducit, et aliqua ex parte respondet.

A delectu instrumentorum musices, in morbi natura, et aegri conditione, multum pendet. In morbis quibusdam, ubi systematis excitatio et aurium sensibilitas admodum augentur, quod in mania, phrenitide, et delirio fit, soni lenes et mulcentes caute et gnare adhibendi sunt. In morbis melancholicis et hypochondriacis, dum animus dolore contabescit, et moerori nimium indulget, in eo sensim et pedetentim facienda est mutatio; et primo in modulos leviores, mox in hilariores, tum ad festiviores et laetiores, procedendum. Animus enim, ex statu depresso, transitionem subitam ad festivum tolerare non potest.

Vox humana, in iis qui vocales, aut voce praediti sunt, qui scite modulari callent, omnibus anteponenda est; quia ex arbitrio cantoris, utcunque res requirat, tam prompte variatur. Huic secundum, scilicet, inter instrumenta musica, illud harmonica dictum usurpandum, aut quod nunc temporis, *the musical glasses*, dicitur. Ea enim ad vocem humanam propius adpropinquant, op-
time

time modulationi adaptantur, eorumque transiti-
ones in sese tam leniter et suaviter cadunt, ut au-
ris maxime irritabilis nullo modo laboret, aegrum-
que in excessum mentis propemodum rapiat. In
sambuca, scilicet, atque eo instrumento, quod
Gallice *spinette* dicitur, et *forte piano*, omnibusque,
quae claviculis constructa sunt, pulsus ad sonos
emittendos necessarius est. Qui, licet in salute
ab animo non percipiatur, attamen aegroti aures
perstringit, praecipue in morbis sonorum minus
patientibus. Quod bonis effectibus, alias inde
orituris, admodum officit. Sed in *forte piano*
modulatio aut lenis aut fortis, modo pulsandi ex-
citari potest; estque, me iudice, instrumentum
mire ad somnum inducendum aptatum. Tibia
Germanica, peritè inflata, feliciter adhiberi potest.
Sed, quoniam tonus illius, ut plurimum, acutior
est, fortasse majore cum fructu musicus, alte-
ro in cubiculo, tempore canendi, sedebit. Qui-
bus instrumentis deficientibus, *fides* adhibendae
sunt. Quibus qui caute et scite canere callet, is
sensationes gratas et perquam delinientes in men-
te excitabit; lyra Æolica doloribus saepe remedio
est. Instrumentum illud inter Judaeos Psalteri-
um nominatum sonos ad animum deliniendum
mire

mire aptari videtur. Alterum inter Hispanos instrumentum Guittar nominatur, quo nymphae Scoticae dulce et scienter pulsare doctae sunt; a quo, cum ei vox earum melliflua, cum verbis mellitis adjuncta sit, quid non sperandum? Violincello, Basso, aut Viola, quibusdam fortasse placebunt.

Inter morbos a collapsu systematis pendentes, ut in typhomania, melancholia, et in iis qui ex passionibus depressis pendent, instrumenta tonos, scilicet, Italice *Allegro, Galliarda, Spirito*, notatos, edentia, adhiberi debent. Inter quae Lyra Cambrica et Hyberna, item Fides et Hautbois, sunt; quibus Tibia Utricularis addi potest.

Varii inter veteres casus memorantur, ubi vis musices tam morbis corporis, quam mentis ataxiis, plurimum celebrata erat.

Musica autem apud antiquiores, quam inter recentiores, plus valuisse, augurari non alienum est. Illis temporibus raro scienter et callide concinebatur. Cui adde vitarum eorum simplicitatem rusticarum, quae animos eorum sensationibus exquisitis idoneos reddidit. At, licet rusticus harmoniam non calleat, tamen mens ejus ea magis delectatur, quam illius qui musicae doctus sit; quippe cui potestas delectamen ex modulis hauriendi non acquisita, sed nativa sit. Iis in seculis,
cum

cum musica naturae ubique redundabat, in sylvis et saltibus aves canorae suavem concentum fundentes, mentes virorum modulamine cantus affidue demulcebant; unde mentes illorum ad oblectamenta concipienda, ex modulis generis superioris, accinctae et compositae erant. Pastus illorum autem materiae imbecillis erat. Ita morbi eorum non tam pertinaces, quam ii, quos ingluvies et desidia nunc temporum saepius ingenerant. Eamque ob causam, vis modulorum effectibus magis prosperis in morbis debellandis adsequeretur.

Hujus usus exemplum profert Galenus primus: Cujus haec verba sunt: ‘ Et nos ob animi mores aegros quotannis non paucos persanavimus, solis animi motibus ad debitum modum revocatis. Est vero non spernendus hujus sententiae testis, ipsum patrium nobis numen Æsculapius, * qui multas scribi cantilenas, mimosque ridicularum rerum fieri, et melodias quasdam instituit iis, quibus vehementiores irascibilis partis motus corporis justo calidius efficerent.’

Centum

* Æsculape fut de l'expédition des Argonautes, qui se fit au commencement du xxviii. siècle, environ cinquante ans avant le siège de Troye. Le Clerc hist. de la med. p. 1. liv. 1. c. 9.

Centum annos post Æsculapium, usus musices inter Judaeos notus erat, et praxis ab iis recepta. Nam, cum Saulem perturbasset spiritus malus a Domino (ita enim mente capi ex usu Hebraicae linguae dicebatur) in remedium musica usurpata est. Et clarus Mead *, qui porro recte animadvertit, ‘illos morbos, quorum causas naturales exhibere possumus, irae coelesti non esse tri-
 ‘buendos:’ Ex sacris libris ‘suaferunt,’ inquit, ‘ei ejus affectatores, ut suis famulis negotium da-
 ‘ret, ut aliquem tangendae cytharae peritum con-
 ‘quirerent, qui eum malo Dei spiritu correptum
 ‘pulsandis fidibus mitigaret.

‘Accersitus est David, et quandocunque acci-
 ‘debat Saulem divino illo spiritu corripere, David
 ‘correptam citharam manu pulsavit, atque ita
 ‘respirabat Saulus, et faceffente ab eo malo illo
 ‘spiritu mitigabatur †.’

Ea magnopere usus est Pythagoras in morbis sanandis, praecipue iis qui mentem afficiunt ‡. Contra maniam celebre fuit remedium multum-que decantatum. Asclepias dixit, nulla re magis phreniticos revocari quam harmonia et musica ||.

Dominam

* Med. sacr. cap. 3.

† Regum lib 1. cap.

16. edit. Castell.

‡ Jamblic, in ejus vita,

|| Hallerus de phrenitide.

Dominam quandam memorat Frank *, quam dementia cepit a zelotypia orta ; quae usu musices per tres menses e morbo prorsus recreata est. In disquisitione Doctoris Brown, quidam casus memorantur de musices effectibus in morbis sanandis. Nos docet Martinus Capella †, febres a priscis sanari, adhibita arte musica : Cujusmodi autem fuerint, quibus hoc gratum et jucundum medicamentum erat accommodatum, haud quidem memorat ; quamvis apprime videtur idoneum, ubi cruciatur aegrotus insomnio et delirio : Duo febricitantium exempla, in quibus ita se res habuit, gravibus et spectatae fidei testibus sunt firmata. Musicus quidam bene notus febre continua, die septimo, delirio vexatus, et vehemente et ferme perpetuo, non sine ploratibus, lachrymis, terroribus et insomnio nunquam remittente, laboravit. Tertio die postquam mente captus est, quasi natura ipsa monente, concentum musicum in cubiculo canendum efflagitavit, et a medico vix impetravit. Quamprimum fidium vocumque symphonia aures pepulit, statim vultus placidus, oculi mites fiebant ; lachrymae prae gaudio manabant ; convulsiones intermittebantur ; eoque tempore

* Satyr. med. diss. de mus. § 20.

† Lib. 9.

pore sensu harmoniae, quam unquam alias, majore commovebatur. Cum res ita ex inopinato cessisset, semper enim inter canendum ad se redibat, et a morbo erat immunis, cantibus autem finitis, iterum ut prius tentabatur; in eodem cursu aliquamdiu perseveratum est. Tandem autem adeo necessarius ei fuit sive vocum, sive nervorum, cantus, ut cognatum quendam, qui interdum noctibus in cubiculo vigilabat, ad auxilium ei praestandum canere, et ad numeros etiam movendos adegerit. At quadam nocte, cum forte adesset nemo praeter aniculam quae ei inserviebat, quaeque musices erat imperita, esse contentus misera cantilena triviali, quae ei una fuit, necesse habuit. A qua tamen aliquid etiam cepisse solatii postea confessus est. Ad summam, hoc modo absque ullo alio remedio, praeter evacuationem e vena pedis bis incisa, ad pristinam sanitatem restitutus est *.

Saltandi magister, febre cum rabioso delirio, e-
linguam reddente, laborabat; contra quam ad-
hiberi medicina non poterat. Hic simul ac audi-
vit fides, gaudio correptus, ex improvise de lecto
furgere conatus est. A quo conatu ab adstanti-
bus

* Histoire de l' Acad. des Sciences pour l' an. 1707.

bus retentus, nutu capitis assiduo, quod solum per vim allatam licebat, indicium fecit, quantam ex ea re voluptatem caperet. Postea, cum aliquanto furor evanisset, ideo non amplius est cohibitus, et intra quartam horae partem alte et graviter dormire coepit, et interim morbus in crisin provectus est, brevique convaluit aeger *.

In melancholicis adhuc amplius est celebrata.

‘ Si igitur, aut ob tristitiam, aut curam, aut aliquam animalem affectionem vigilarint, primum quidem tristitiam, et id quod molestum est, quantum ejus fieri potest, recidemus; postea etiam jucundorum sonorum auditu, cogitationem ab illis abducemus, et quidem sane sonum aequè placidum ad hoc machinatur, quo deliniti ad somnum deducuntur †.’

Bene notum est, quod a Seneca et aliis narratur de Maecenate, qui, propter curas et animi anxietates, per totum triennium exsomnia perseveravit, ac denique cantilenis blandis, lene ex longinquo decantatis, sopitus est.

Praecipuus ejusdem in affectionibus hypochondriacis usus est. Nam Schenkius aurifabrum quendam, suae artis callidum, atra bile graviter percitum,

* Histoire de l' Acad. des Sciences pour l' an. 1708.

† Paul. Aeginet. lib. 1. cap. 98.

percitum, convaluisse ope musices memorat. Quae a Jacobo Kernmesserio et plerisque aliis in hisce morbis multum laudatur.

Circiter quinque annos ante, ego febre inflammatoria correptus sum, cui successit dolor capitis faevissimus, deliriumque imminebat. Ea in parte regionis nullus fuit medicus inveniendus, nec ullus, qui aliquid pro me facere, nisi dare potum, poterat. Quendam virum generosum canere fidibus affuetum accersivi, qui mihi duodecim circa horas cecinit. Toto illo tempore musices quietus et attentus in lecto quiescere, interdumque dormire, potui. Et, cum in musices intervallis, dolor, jactatio et anxietas exasperata essent, musica incipiente iterum mitigabantur. Sic triduum musica, decem aut duodecim horas quotidie versus vesperam, quo tempore maxime cruciatus faeviebant, delinitus sum. Porro, circiter tres abhinc annos, cum hac in urbe, variolis a capite ad calcem ulcerosus laborarem, nullam requiem, nullumque somnum omnino inire potui, nisi quando musicus operam dabat. Ille attentionem doloribus amovit, taediumque carmine suo fere divino saepe delinivit.

Hinc priusquam decedam, exigit animi grati officium, ut egregiis viris, et suae cuique arti decoribus,

coribus, Adamo Ferguson, L.L. D. Morum,
 Dougallo Stewart, Rei mathematicae, Jacobo
 Bruce, Logicae, in hac academia Professoribus, et
 Jacobo Ray Chirurgo Edinenfi, et chirurgiae doc-
 tori laudato, summa^s quas habeo gratias agam.

F I N I S.